

R H E N O L A N D I A .

erant, non haberent viam, qua merces suas possent in Oceanum, ex quo ingens quæstus, exportare, vel inde ad se admittere. Quocirca statuerunt effosso transverso meatu huic incommodo mederi. Placuit ei rei Goudam & Woudam, exiguos rivus deducere, & cum Isala, Rhenoque conjungere. Sed quum periculum esset, ne si id adgrederentur, aquæ ex Isala in agros suos effunderentur, natura humiliores, occurrerunt etiam huic malo oppositis ad primam Isalæ admissionem ingentibus obicibus repagulis, quibus naves ex Isala in Goudam tuto adveherantur, observata ea fluminis æstu marino sese attollentis aut subsidentis altitudine, quæ interiori fossæ esset æqualis, quod & Corbulonem olim in fossa illa, quam à Mosa ad Rhenum duxit, ubi illa sita fuerit, observasse, verisimile est. Fossa illa ab Isala ad medium usque Rheni alveum vocatur *Gouda*, inde ad lacum usque Harlemensem *Wouda*. Cataractis ad Isalam additum est telonium, & telonio arx à Florentio Comite, Guilielmi Romanorum regis filio. Illexit autem loci oportunitas multos, ut etiam in agger, vel propter eum sedes figerent, crevitque paulatim frequentia in justam civitatem, in templum etiam ex vicino loco, ubi ligneum steterat, in mediam civitatem translato. Deprehensum est tamen, Isalæ aquas, intumescens supra Trajectum Rheni undis, ita interdum attolli, ut ipsas quoque aggerum moles perfringeret. Itaque consensu Iohannis Nassovii Episcopi Trajectensis impositus est etiam Rheno obex ex adverso Viennæ, loco qui à Frisiis (nam Frisiorum hæc olim sedes fuere sub Radbodo) vocatus est *Vriessvuyck*, quasi Frisiorum vicus. Ex eo igitur tempore contractus est admodum, imminutusque Isalæ alveus, adeo ut jam inter primos illos aggeres lata cernatur camporum planities, circa *Iselsteinium*, *Montfortium*, *Oudewatriam*.

Metropolis Rheno-landiæ est *Lugdunum Batavorum*, vulgo *Leyda*: revera urbium Hollandiæ ocellus, sive urbis ipsius nitorem, structuramque, situs opportunitatem juxta atque amœnitatem spectes; sive civium & incolarum frequentiam, omniumque artium mechanicarum, & præsertim lanificii, cultum. Sita est in medio fere ceterarum urbium, quippe distans à Delphis tria, ab Harlemo, *Gouda*, *Roterodamo* quinque, ab *Amstelodamo*, *Durdrecht*, *Trajecto* septem milliaria communia. Medius Rheni alveus ab *Ultrajecto* descendens, sed oblimato ostio & cursu alio retorto, jam restagnans, paulum supra urbem in duo velut brachia divaricatus, urbem ab oriente ingressus, postquam bonam illius partem bifido alveo pervagatus est, rursus in unum alveum conjunctus ad occidentem egreditur, & mare petit. In angulo hujus confluentis, super acclivem undiq; tumulum pyrgus exstat, (Burgum patria lingua vocant) circinato mœnium ambitu, fornicibus ar-

cuatis, quod Normannorum opus creditur. Ab hoc Burggravii nomen habuere, olim quoque urbis potentes, quod imperium & jus quondam penes *Wassenarios* dynastas fuit. Urbs aliquoties ampliata est mœnibus productis. Primum anno 1249, secundo 1355, tertio 1389, quarto denique 1611. Ita ut nunc forma pene orbiculari CLXXII jugera Rheno-landica occupet, quum superioribus seculis, quando primum muro cincta fuit, vix triginta contineret. Cincta est autem partim muris vallo terreo firmatis, quibus ingentia propugnacula terrea sunt adjecta: partim, qua nuper dilatata sunt pomeria, firmissimo & crassissimo terreo vallo, & validis propugnaculis, fossaque undique amplissima. Hæc urbs, uno *Amstelodamo* excepto, universæ Hollandiæ civitatum populosissima est: quippe advenis è *Flandria*, *Artesia*, *Hannonia*, & *Leodiensi* agro, aliisque in immensum aucta: unde & opibus quoque supra modum crevit, & ædificiorum numero ac splendore. Iter à *Lugduno* capite Germaniarum Argentoratum usque; notavit *Antoninus* per *Albiniana*, *Trajectum*, *Mannaricum*, *Caruonea*, *Harenacium*, *Burginacium*, *Colonia* *Trajanam*, *Vetera*, *Calonem*, *Novesium*, *Colonia* *Agrippinam*, *Bonnam*, *Autunnacum*, *Confluentes*, *Bingium*, *Noviomagum*, *Treveros*, *Divodorum*, *Pontem Sarvi*. Extra urbem, Oceanum versus, est *Rhenoburgum*, non ignobilis pagus, ubi cœnobium illud amplissimum ordinis *Divi Benedicti*, elegantissimi imprimis templo, aliisque pulcherrimi operis ædificiis concinnum. Ejus conditores quatuor feruntur: *Didericus* videlicet & *Florentius* Comites: *Petronella* Hollandiæ Comitissæ uxor, & Princeps quædam illustrissima domus Saxoniæ. Verum cœnobii hujus non nisi miseranda jam videas rudera, minasque murorum ingentes. Non admittebantur in hoc nisi virgines domo ac sanguine nobiles, ejusque antistes femina seculari simul & ecclesiastica dignitate pollebat. Sepulcra habet non Comitum solum supra enumeratorum, sed & aliorum Hollandiæ Comitum, & *Zelandiæ*. Est & aliud quoddam cœnobium celebre, non longe à mari, Ordinis *D. Bernardi*, vulgo dicitur *Ter lee*, duobus *Leida* milliariis, prope *Nortwicum*, fundatum à Comite quodam, & amplissimo censu dotatum. Sed & hoc bellorum incendiis conflagravit. Parte altera urbis, *Woerdam* versus, ad decem milliaria passuum *Lugduno* dissident *Albiniana* Castra, notata ab *Antonino* in *Itinerario*, nisi quis *Alpheniana* dici malit, ab *Alpheno* Varo *Batavorum* ductore, cujus meminere *Tacitus*, lib. 18, & *Plurarchus* in *Othone*, nostri vocant *Alphen*. Inter hæc & urbem est *Roomburch*, quod Romanorum sonat *Burgum*. *Velseri* tabula vocat prætorium *Agrippinæ*, estque is locus erutis variis antiquitatum monumentis clarus. In his duo fuere leonum signa, cum *Palladis* simulacro, & numismatis argenteis æneisque *Antonini*, *Neronis*,

*Gouda, Wouda, rivuli.*

*Lugduni capiti.*

*Rhenoburgum.*

*Lugdunum Batavorum.*

*Ter lee.*

*Alphen. Roomburch.*